

qui supra omnia peccata sua priora, quae ante Jagam istam commisit, etiam nunc adjicit aperam blasphemiam, impulando videlicet Deo injuriam, perinde quasi non suffecerint priora illa tam multa et tam magna peccata, quae ante commisserat, nisi hunc horridum illud blasphemiae scelus adjuccisset. En quam enormiter aberrat Eliu, et quam vehementer pia, ut putat, mente praecipitat: accusat Jobum et pro peccatis suis flagella meruisse, et post flagella blasphemando pe-

Quamvis Eliu aberrat a iudicio

CAPUT TRIGESIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit Eliu falso accusare Jobum, quasi dixisset, Deo cordi non esse pius pro impiis: docetque, si non Deo, certe ipsi homini, et pietatem prodesse et impietatem obesse plurimum.

1. Igitur Eliu haec rursum locutus est: 2. Numquid aequa tibi videtur tua cogitatio, ut diceres: Justior sum Deo? 3. Dixisti enim: Non tibi placet quod rectum est: vel quid tibi proderit, si ego peccavero? 4. Itaque ego respondebo sermonibus tuis, et amicis tuis tecum. 5. Suscipe caelum et intueri, et contempe aethera quod altior te sit. 6. Si peccaveris, quid ei nocebis? et si multiplicata fuerint iniquitates tuae, quid facies contra eum? 7. Porro si juste egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet? 8. Homini, qui similis tui est, nocebit impietas tua: et filium hominis adjuvabit iustitia tua. 9. Propter multitudinem calumniatorum clamabunt: et ejulabunt propter vim brachii tyrannorum. 10. Et non dixit: Ubi est Deus, qui fecit me, qui dedit carmina in nocte? 11. Qui docet nos super jumenta terrae, et super volucres caeli erudit nos. 12. Ibi clamabunt, et non exaudiet, propter superbiam malorum. 13. Non ergo frustra audiet Deus, et Omnipotens causas singulorum intuebitur. 14. Etiam cum dixeris: Non considerat: iudicare coram illo, et exspecta eum. 15. Nunc enim non infert furorem suum, nec ulciscitur scelus valde. 16. Ergo Job frustra aperit os suum, et absque scientia verba multiplicat.

Verz. 1 et 2. Quid aequa tibi videtur tua cogitatio, ut diceres: Justior sum Deo? — Instimulatus acrius Eliu, quia a Jobo se contemni arbitrabatur, in illum non minus quam ante impatienter invehitur, et quaedam obijcit impia atque stulte, quae aut ipse fingit, aut ex verbis Jobi male ratiocinando componit; quae dum sapienter confutata se putat, impie ipse et insipienter agit. Notat ergo in primis Jobum blasphemiam, quod dixerit se Deo justiore esse. Sed ubi hoc dixerit Jobus non habemus, neque ostendere potest Eliu, et est sine dubio longe falsissimum; unde tamen aut malitiose aut insipienter illud intulerit exploremus. Potuit videlicet Eliu tum ex variis Jobi assertionibus prave intellectis; tum ex constanti Jobi asseveratione, qua se insonetem esse, et a Deo absque culpa cædi defendit, sensum istiusmodi deducere: eo quippe ipso, quod Jobus sine delicto se plecti affirmavit, visus est Eliu sicut et primis certatoribus Deo notam in-

Eliu prave verborum Jobi interpretres.

justitiae impingere, ac proinde se Deo, uti minus justo, aut certe injusto, anteferre. Dixerat enim Jobus cap. xix, 6, aut dixisse videbatur, se iustum esse atque innocentem, et tamen a Deo injuste puniri: « Sallem nunc intelligite, quia Deus non aequo iudicio afflixerit me; » et cum Jobus cupere se dicebat venire cum Deo in iudicium cap. xxiii, 3, ostendere videbatur justiore esse suam quam Domini causam. Sed haec, ut suis locis et proxime praeced. capit. docuimus, sensum habent modestum ac piium. Quando enim Jobus de sua iustitia locutus fuit, huc spectavit, ut ostenderet, se non secundum peccata puniri, nec improbum iudicandum esse, eo quod a Deo gravius quam reliqui homines affligeretur: nam superius aliquoties declaratum fuit Deum affligere, et homines non semper hoc spectare, ut ipsorum peccata puniat; sed quia habent quos iudicent et condemnent, et ex eorum iudicio aliquid lucri faciant. Quomodo Jobo accidit, cum Deus Satane laxavit habenas. Non enim hoc eo factum est, quod Jobus vias suas de-

Jobo

Job optime fecit iustitiam suam.

pravasset, aut magnis criminibus iram Dei provocasset; minime: sed quamvis Satan non inveniret quid in illo reprehenderet, potestatem tamen ipsum cruciandi obtinuit. Ergo causa Deo proposita in Jobo esse affligendo non fuit, quod Deus ipsi infensus esset; sed hoc pacto voluit ejus patientiam probare, ut nobis speculi loco esset. Jobus igitur recte contendit, cum asseruit se minime propter peccata, sed alia de causa se afflictum fuisse.

3. DIXISTI ENIM: NON TIBI PLACET QUOD RECTUM EST: VEL QUID TIBI PRODERIT SI EGO PECCAVERO? — Neque illud usquam a Jobo dictum fuisse reperietur, sed opere pretium est intelligere quid his verbis Eliu calumniatur, ut ubi calumniae ansam repererit demonstremus; calumniatur autem Jobum Dei abnegasse providentiam, neque probis consulere, neque in improbos animadvertere, neque ullam utrorumque curam gerere; et propterea dicit: « Dixisti enim: Non tibi placet quod rectum est, » etc., id est, neque ad te, o Deus, pertinet quod rectum faciam, neque quod peccem; utrumque parum attendis, quod nihil emolumenti nihilque detrimenti ad te ex utraque re veniat. Hebraea ad verbum reddita eandem habent sententiam, licet obscurius, quoniam dicitur: Quid proderit tibi, aut quid commodi capiam ex peccato meo? Ex uno contrario utrumque vult Hebraeus intelligi: quocirca his dixit eandem sententiam, quid proderit tibi, aut quid commodi capiam, subaudi a te, ex peccato meo? id est, non curas, utrum ego peccem nec ne. Aliqui vertunt, quid commodi capiam ex expiatione mea: et quadrat hebraeo נכתי חטאתי, quod et peccatum significat et sacrificium pro peccato; et eodem modo ex uno contrario alterum intelligendum. Et ita optime explicarunt Septuaginta interpretes, qui totum hunc versum ita transferunt in plerisque codicibus, *ἐν τίνος δίκαιοι, quoniam dixisti: Justus sum coram Domino; quoniam dices: Quid faciam cum peccaverim?* id est, sive bonus sim, sive scelus faciam, quid hoc ad Deum spectat? cum ipse nihil ex utraque re commodi vel incommodi percipiat. Videtur autem Eliu sententiam hanc expressisse ex verbis illis quae legitur cap. ix, 12: « Innocentem et impium ipse consumit, » et statim: « De penis innocentem rideat; » et cap. x, 13: « Si justus fuerit, non lavabo caput, » hoc est, non levabor, honorabor, remunerabor, si juste egero; ex quo videtur effici ad sensum Eliu, Deo non placere quod rectum est; quandoquidem non illud remunerat. Illud denique: Quid tibi proderit si ego peccavero? attribuit Jobo Eliu ex verbis illis cap. x, 1: « Quare mundum me esse non capitis ejusdem? » ac si Deus ideo non pateretur Jobum esse purum, quod aliquid lucri ei proinde accederet, utpote quem putaret humanis iudiciis esse similem, qui hominum ideo peccatis gauderet, quia habent quos iudicent et condemnent, et ex eorum iudicio aliquid lucri faciant. Quomodo etiam medici grassari morbos optant, precantur

Eliu dicit Jobum negasse Dei providentiam.

Fingit Eliu Jobum putasse Deo esse peccatum incurrere.

que hominum, maxime locupletum, corpora tentari, ut aliorum incommoda ipsis divitiis pariant. Ita pulo secum cogitabat Eliu dum haec verba fingit veritati, et adscribit Jobo, dum ait illum dixisse: Non tibi placet quod rectum est. Significat nempe Deo virtutem et pietatem non placere, quia non habet ex quorum damnatione compendium caplet: illa Stumia et Sanctius noster. Recte autem ad hunc locum notat S. Gregorius lib. xxvi Moral. cap. vii: « Si tota libri series attenditur, nihil horum beatus Job dixisset. » monstratur. Sed arrogantes viri, sicut et superius diximus, habere hoc proprium solent, ut dum in nimia invectione prodeunt etiam invehendo mentiantur: et cum non possunt reprehendere juste quae sunt, reprehendunt mentiendo quae non sunt. »

4 et 3. ITAQUE EGO RESPONDEBO SERMONIBUS TUIS, ET AMICIS TUIS TECUM (insolenter simul et arroganter Eliu jactat se responsurum esse Jobi sermonibus impietatis et insipientiae plenae, et docturum Jobi amicos, quomodo Dei causam et nomen a maledico sermone intuentur, et Jobo de ipsorum victoria exultanti silentium indicant). SUSCIPE CAELUM, ET INTUERE, ET CONTEMPLARE AETHERA QUOD ALTIOR TE SIT. — Arguit modo Jobum quasi aliquando dixerit Deum ex hominum peccatis aliquid capdo deum posse lucrare, dicitque Deo neque quidquam accedere posse lucri ex hominum iustitia, neque ex eorum iniquitate nocentium, quia Deus in caelo procul ab hominibus est, quomodo hominum opera, quaecumque fuerint, pervenire non possunt. Qui gravis est et infantilis error, cum Deus ubi vis locorum sit, et universa compleat. Argumentum igitur, quod ad hujus pronuntiationi confirmationem ulitur Eliu, illius indicat insignem ignorantiam: concludit enim in caelo Deum, ita ut neque terram neque universum compleat, neque cum hominibus sit. Unde S. Iheronymus et Beda arroganter illum philosophastrum crasse ejusdem ignorantiae coargunt: tota enim ea ratio in locorum distantia ab hominibus intervallo disjungitur, pervenire nihil possit, perventurum utique, si propro nos esset, aut ubi a nobis adiri aut conveniri difficile non possent. Ita Sanctius nosler.

Eliu male locorum sit, et universa compleat.

Secundum anagogiam autem hic invitatur ad Caeceli contemplationem, ut exinde attolamus ad Numinis cognitionem amoreque attolamus: cogitandum enim maxime naturam divinam et procreantiam omnia vim, potentiam et inexplicabilem sapientiam eximie declarat, hinc S. Chrysostomus hom. 40 ad Popul. ait caelum positum a Deo *βῆλον μέγιστον καὶ θῶρον καὶ οὐρανὸν, maximum librum et idiotis et sapientibus: ἀδύνατον ἀρῶν, ἡσῖνον, omnibus generatim utilem esse.* Liber ille tam apertus, tam generatim gloriam Dei; » vel, ut vertunt Septuaginta, *ὁδὸν, claritatem, existimationem, magnificentiam; vel, ut Chaldaeus, pretiositatem; vel, ut*

Caeceli contemplationem, ut exinde attolamus ad Numinis cognitionem amoreque attolamus: cogitandum enim maxime naturam divinam et procreantiam omnia vim, potentiam et inexplicabilem sapientiam eximie declarat, hinc S. Chrysostomus hom. 40 ad Popul. ait caelum positum a Deo βῆλον μέγιστον καὶ θῶρον καὶ οὐρανὸν, maximum librum et idiotis et sapientibus: ἀδύνατον ἀρῶν, ἡσῖνον, omnibus generatim utilem esse.

10. ET NON DIXIT: UBI EST DEUS QUI FECIT ME, QUI DEDIT CARMINA IN NOCTE? — Eam igitur ob causam Deus non omnibus oppressis auxilium fert, quia non omnes spem suae salutis in Deo ponunt, neque ejus ex animo praesidium petunt, sed alias pessimas forte inveniunt rationes, quibus cum mala urgent liberentur. Quorum hominum absurdissimum esse consilium duobus argumentis breviter ostendit: quoniam a Deo potius deberent conservationem et liberationem sperare quam ab eo i quo facti sunt? nam qui praestitit eis ut essent, um nihil ab eo peterent, multo melius factos serarent, si ejus clementiam et benignitatem implerent, et amori ejus responderent; tum vero etiam ratione potentius ejus, qui dat carmina, id est causas cantandi in nocte, quando in mediis calamitatis afflictos exilarat, et tyrannos interimit.

Angelo- rum cus- todis in nocte.

QUI DEDIT CARMINA IN NOCTE. — Septuaginta reddunt, ἡ νυκτὸς αὐτῶν φύλαξ, νυκτὸς, qui distribuit custodes nocturnos, hoc est, ut vult Origenes, angelorum excubias, adversus latrones impios et crudeles animorum inimicos. Pium igitur et prudens consilium est, ut omnes in lectum ituri amicam consilium est, ut omnes in lectum ituri amicam illam beatarum mentium manum et maxime tutelarem invocent; et si quando evigilaverint, cum iisdem enocent, et velut astra matutina jubilent, et una cum illis recitent pia carmina in nocte. S. Ambrosius contra insidias demonis, noctu venenum alexipharmacum, potentissimum quoque suggerit alexipharmacum, quo praesertim religiose animae et sacris altaribus servientes magno suo bono frequenter uti solent: nam cum *Exod. xii, 4* vidisset Hebraeos in Aegypto, quod agnum edissent, liberos fuisse ab immani et funesta clade, quam saevus de nocte speculator divino imperio confecerat; singularis ille doctor asseruit, christianos longe feliciter tutos et defensos a nocturna calamitate futuros, qui ad sacram Domini mensam et immaculati Agni cruorem accesserint; hanc vero subdit rationem: «Cum hospitium tuum adversarius viderit occupatum caelestis fulgore praestantiae, intelligens locum tentamenti suis interlosum esse per Christum, fugiet, ac recedet, et in mediam noctem sine ulla offensione transibit:» ita S. Ambrosius in *Psal. cxviii*.

Deus tribulationibus egredium educit.

Hinc porro gaudium in animo existit, quo pius quilibet roboratur ad pugnam, et ad victoriam obliendam accenditur: nam quis nesciat ex tentatione victi gaudium nasci, et veluti stilam futuri praemii stium pro foribus exsultationem adesse? Equidem nullus ignorat filios Israel victis et suffocatis Aegyptiis ingenti letitia fuisse perfusos, qui, ut est *Sap. xix, 9*, «tanquam equi depaverunt escam, et tanquam agni exsultaverunt, magnificantes te, Domine, qui liberasti illos.» Hi autem justorum exsultiterunt figura, quorum corda victis suis adversariis perfruitur et in sanguine Christi demersis vehementer exsultant: «In mari, inquit S. Dorotheus *Instit. 12*, dum tempestas excita-

tur omnes semper affliguntur; postquam autem tempestas deservit, continuo sibi inveniunt cum gaudio quae in ea congerit narrant.» Ita prorsus turbine tentationis instante magna mentem subit afflictio; ac tentatione rejecta, et corde victorie obtentione sedato Dominum victoriae auctore laudamus, nobis ipsis congratulamur, et ex adventu tantae tranquillitatis arham adesse caelestis praemii sentimus. Equum ergo est non solum ut vincere tentationes curemus, sed ut in mediis tentationibus de spe tantorum bonorum gaudeamus; cujus gaudii inter tenebras quoque tentationum lucentis Dominus ipse dator et effector est, juxta illud: «Qui dedit carmina in nocte.» Quid enim aliud est Conditorum nostrum in nocte nobis carmina dare, nisi ex spe retributionis gaudium in media afflictionis tentatione concedere? «Carmen in nocte, inquit S. Gregorius lib. *XXVI Moral. cap. xii*, est letitia in tribulatione: quia etsi pressuris temporalitatis affligimur, spe iam tamen de aeternitate gaudemus. Carmina Paulus in nocte praedicabat dicens *Rom. xii, 12*: Spe gaudentes, in tribulatione patientes. Carmen in nocte David sumpsit, qui dicebat: *Psal. xxxv, 7*: Tu mihi refugium a pressura quo circumdedit me: consultatio mea, redime [serae] me a circumdantibus me [Vulg. Tu es refugium meum a tribulatione]. Ecce noctem pressuram nominat, et tamen liberatorem suum inter angustias exsultationem vocat. Foris quidem nox erat in circumdatione pressuram, sed intus carmina resonant de consolatione letitia. » Haec letitiae carmina resonant in cordibus nostris cum tentatur, et similes illis erimus, de quibus scriptum est *1 Mach. iii, 2*: «Et praelabantur prelium Israel cum letitia.» Letitia autem impatientiam et tristitiam depellet, ardorem in pugna adjiciet, hostes percellet et effringet. Sic tandem ad tantam felicitatem assumemus, ut ex letitia hujus temporis vera, quae tota in Dei obsequio collocata est, ad aeternam letitiam transeamus, et ut in futuro saeculo gaudii et pace perfruendo et in hoc passiones sustinendo letemur.

11. QUI DOCET NOS SUPER JUMENTA TERRAE, ET SUPER VOLUCRES COELI ERUDIT NOS. — Alio argumento demonstrat valde absurdum esse, hominem in rerum discrimine ad Deum non confugere, a quo tam singulare accipit beneficium, ut ipse unus inter caetera animalia mente et ratione polleret; quam ipse praeterea multis modis imbut, et ad veram doctrinam informat; unde S. Paulus ad Romanos scribens ostendit homines etiam gentiles non posse excusari de ignorantia, si non servent praecipua moralia, cum ab ipsa natura huius in corde impressum habeant, quo Deum et illa cognoscant. Quod ut clarius intelligamus, in Naturali primis statuendum est in hominibus lumen esse quoddam clarissimum, in cuius possessione mens laetitia inexplicabilis perfruitur: hoc animadverit ad Cassiodorus lib. *De Anim. a*itque lumen aliquod

Carmen in nocte est letitia in tribulatione.

Ver. 11

Hominis creatioe impressa est Dei similitudo.

Deus ex creaturis a posteriori clare cognosci potest.

Deus se etiam per angelos nobis manifestat.

Ommodo alim in Deus, » etc., notitia scilicet non solum generali, sed et in quibus, praesertim philosophis, e sensu creationis et naturae operibus hausta, verum etiam specialiter, per gratiam, Scripturas aliasque

substantiale animas habere, quod in Evangelio *Joan. i, 9*, dicitur lumen illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum: «et in cogitatione, inquit, positi nescio quid tenue, volubile, clarum nobis inesse sentimus, quod respicit sine sole, quod videt sine extraneo lumine.» Id meo quidem iudicio Vates regis *lumen vultus Dei* nominavit *Psal. iv, 7*: Ecclesiastici auctor *cap. xxiv, 44*, antelucanum illuminatum omnibus; magnus Apostolus *notum De* in omnibus manifestum dixit *Rom. i, 19*, quod Origenes vult esse *naturae divinae irradiationem*; sanctus vero Hieronymus, et D. Augustinus *illuminationem rationis*, quae divinitatis imago est impressa in animo, et insignita. Id quod hominis dignitatem mirum quantum commendat, et supra omnes creaturas effert: quoniam quae enim in hoc orbe aspectabili a nobis videntur tantum exhibent vestigium aliquod divinae illius sempiternaeque mentis: unus homo ejus imago quaedam et veluti expressa similitudo est, siquidem in homine semetipso impressit et expressit Deus velut in cera molli, nuda tabella, pretioso nismatate, signaculo similitudinis, de quo pulchre Rupertus lib. *II in Genes. cap. xii*: «Tanquam cera, inquit, sigilli testatoris imagine signata, sic imagine Dei signatus est homo.» Hoc ipsum Tertullianus lib. *V in Marc. cap. xi*, vocat *lumen personae Dei*, ut sit Numinis quaedam veluti irradiatio. Ad haec, exposuit Deus et obicit hominum sensibus et mentibus tot et tanta opera sua, quae in hoc mundo perfecti: ex quorum aspectu et contemplatione facile possent quasi manu deduci in effectoris eorum cognitionem, sicut ex pulchritudine opificii artificis praestantia cognoscitur.

Ommodo alim in Deus, » etc., notitia scilicet non solum generali, sed et in quibus, praesertim philosophis, e sensu creationis et naturae operibus hausta, verum etiam specialiter, per gratiam, Scripturas aliasque

revelationes propheticas cor parata; cujus finis est Dei cultus, fides, religio, amor, metus. Unde praeter illa quae philosophos de Deo novit, id est, esse conditorem, moderatorem, motorem primum, primam causam, finem rerum omnium, actum purum, incorporeum, seipsum et in seipso cuncta intelligentem, alia multa jam christianus cognoscit, quae Dei naturam maxime explicant; ut, Deum esse unum et trinum, omnipotentem, adeo ut ex nihilo cuncta produxerit tali tempore, non prius vel posterius, et nunc omnia regat, conservet, portet vero virtutis suae, etc., quae seipsum verissima sola fide et auctoritate dicentis demonstrata sunt atque stabilita.

Multipliciter itaque erudit nos Deus, ac primo quidem per gratiae inspirationem sicut pater filium, juxta illud *Deut. viii, 5*: «Sicut erudit homo filium suum, sic Dominus Deus erudit te, ut custodias mandata ejus;» unde *Tit. ii, 11* «apparuit gratia Dei omnibus hominibus, erudens nos, ut shnegantes impietatem et saecularia desideria, sobrie, pie et iuste vivamus.» Secundo erudit nos per Scripturam verbum quod sicut magister discipulum: per Scripturas enim nos erudit quid credendum, quid sciendum, quid fingendum, quid sequendum, juxta illud *1 Timoth. iii, 16*: «Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, » etc. Tertio nos erudit per creaturam contemplationem, sicut artifex erudit discipulum per imagines et opera sua: aris: sic contemplando opera Dei erudimur de Dei providentia, bonitate et benignitate. Quarto erudit nos per disciplinam flagellationem, sicut dominus servum, quando ipsum rebellem reperit, flagellis erudit, juxta illud *Isai. viii, 11*: «In forti manu erudit me, ne irem in viam populi huius.» Quinto denique caeteris eminentiori quodam modo erudit eos, qui per Dei gratiam ad eam mentis puritatem evecti sunt, ut continua Dei ratione fruuntur juxta supernam illam: cujus capaces sunt mortales, divini amoris influentiam: hi enim propriissime a Deo erudiuntur, et divini Dionysii verbis utitur, «ab ipsaniet divinitate sacris mysticis initiati, cum ad Deum per dilectionem surriperunt, nec non in eo summa puritate summaque constantia stabiluntur, atque supernaturalibus divinatorum operum rationibus ab ipsomet divino per ceipatu *θεοειδίξιν: πνεύματι* erudiuntur.» Tales sunt vere mystici theologi, de quibus vide nostram *Isagog. ad Myst. theol. S. Dionysii Areopagite tom. II. Illa igitur tam excellens et multiplex eruditio, quae Deus super jumenta terrae et super celi volucres hominem informat, debet illum in malis jacentem, ad memoriam a quo tot habet bona, excitare, et ejus ex*

notus est Deus

Erudit nos Deus multipliciter.

Mystici theologi puritate a Deo erudiuntur.

Cor quibusdam Theis, scribitur non nisi.

invocare. Cum autem multi a potentibus oppressi id non faciant, sed aliis viis suam salutem investigent, mirum esse non debet, quod eis nullum subsidium præstet. Quapropter subiungitur:

Vers. 12.
Cur alii
Deum
clamant
non
exaudiatur.

12. INI CLAMABUNT, ET NON EXAUDIET, PROPTER SUPERBIAM MAGNORUM. — In tyranica, inquit, vexatione egentes inermesque oppressi vociferabuntur propter superbiam aggressorum, et tamen Deus non exaudiet, hoc est, non continuo oppressos liberabit, aut oppressores coerebit: quia nimirum ad Deum non clamant, sed vellentiamur de sua fortuna, querendo auxilium a cognatis aut amicis aut potentibus hominibus; vel si Deum invocant, non ejus gratiam et benevolentiam in primis querunt, sed a malis tantum liberari cupiunt: itaque non tam honestas quam utilitatis titulo Deum sibi adesse optant. Quamobrem non est mirum si Deus istiusmodi clamores non curet, ut illis ad auxilium ferendum moveatur: de his enim dicit David *Psalm. xvii, 42*: « Clamaverunt, nec erat qui salvos faceret, ad Dominum; nec exaudivit eos; » et ipse *Deus Jerem. xi, 11*: « Clamabant ad me, et non exaudiam eos, » etc. In hac igitur infidelitate sua et cæcitate homines isti providentiam Dei considerare nolentes, cum clamaverunt de tribulationibus, quas ex oppressionibus tyrannorum sustinent, non merebantur exaudiri a Domino: quia videlicet non in humilitate se subdunt divinæ providentiæ, neque in fide supplices ad eam confugiunt; sed in superbia sua Deum contemnunt, ejusque providentiam negant et blasphemant. Frequenter autem accidit, ut istiusmodi divini Numinis contemptores, qui postquam prophetarum voces ita respuerunt, ut penitus obscuris viderentur, tandem et ipsi necessitate compulsi clamant ad Dominum, qui eos non exaudiat. Justissima sane punitio, ut Deum non audientes a Deo non audiantur. Sic impius Esau, qui non vacando in tabernaculis doctrinæ studebat, sed vagando in agris venationi insudabat, negligens doctrinæ auditor, postquam salubres præceptiones contempserat, ne quidem clamans et ejulans a Deo exauditus fuit: « non enim, inquit Apostolus *Hebr. xii, 17*, invenit penitentiam locum, quamvis cum lacrymis inquisisset eam. » Similiter Antiochus rex, cum sæpius a Deo de sua superbia admonitus, non audiret *I Mach. ix, 6*, « et nullo modo a sua malitia cessaret: » hanc quoque justam penam meruit impius surdaster, ut in extremis angustiis magnis Deum clamoribus deprecatus minime audiretur, juxta id quod de ipso scribitur *ibid. vers. 43*: « Orabat autem hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consequutus. »

Del contemptores
non
exaudiatur
a Deo.

Vers. 14.
Deus non
indifferenter
omnes ad
se clamantes

13. NON ERGO FRUSTRATA AUDIET DEUS, ET OMNIPOTENS CAUSAS SINGULORUM INTERVENIT. — Non itaque Deus quoslibet indifferenter exaudiet quomodocumque clamantes, sed illos tantum qui propter humilitatem et fidem suam, ex qua procedit eorum oratio, merentur exaudiri: rationem adhuc

magis aperit et amplificat, et docet, non sine causa Deum quorundam preces non admittere, sed potius illos hiantes relinquere et miserabiliter clamantes, quia videlicet in illis nulla invenitur merita, quæ ipsius misericordiam sollicitet et flectant. Et licet alii aliter sentiant, quia hic auctores varie dissentiunt, ego tamen cum Sancto consequenter superiora hæc ad miseros et oppressos pertinere arbitror; qualis tunc erat Jobus, qui cum clamaret urgentibus malis, clausas tamen videbatur Dei aures habere aut inexorabilem animum, quia, ut cogitabat Eliu, frustra clamabat, qui cum Deo sibi nullam inierat gratiam, beneficiorum memor atque laudator, sed potius oratione blasphemata atque impia illius animum procul averfisset. At igitur Eliu Deum singulorum causas diligenter expendere, neque ignorare quid quisque faciat cogitave: quare si hunc audit benigneque complectitur, illum vero deserit, et in suo squale labescere permittit; non esse sine causa: illum enim pius et humilis esse novit, hunc vero impium, superbum et totius humanitatis expertem. Quare licet aliquando sero, quia patienter expectat, ut meliorem amplectatur vivendi formam; punit tamen aliquando, et a sua misericordia prorsus excludit: ita Sanctus noster. Quæ videtur satis ad textum et mentem Eliu accommodata sententiæ: alias omitto, quia varie sunt, nec omnino solute, et ego longus esse nolo. Hic solum observa, negationem prioris hemistichii repetendam esse in posteriori, quod apud Hebræos usitatum est, in hunc sensum, *q. d.* Non ergo Deus sine causa a miserorum precibus aures, et non sine causa ab illorum miseris oculis avertit, ab humanis scilicet membris phrasi Scripture usitata divinas potentias denominando. Tunc autem Deus similis est non audient, quando is qui orat indignus est audiri; vel quod humilitate, fiducia ceterisque ad bonam orationem requisitis careat; vel quod adhuc peccator sit, qui necdum cogitet de penitentia, tunc vero oculos avertit, cum incommo dis afficit, et iratus esse videtur; translatione ab hominibus petita, qui nolunt eum intueri erga quem gravi animo sunt: sic et contra respicere dicitur Deus, cum favet, et malis medetur. Quæ etiam phrasi auctores profani utuntur: « nam nisi quis nos Deus respexerit, » scribit Attico Tullius, id est, subsidio fuerit. Avertitur porro a nobis in hac vita Deus, ut magis nos alliciat, quem admodum etiam insanus amator, cum quem amat despiciens derelinquit, haudquaquam ipsum ex animo ejiciens, sed eum converti volens. Unde sequitur:

14. ETIAM CUM DIXERIS: NON CONSIDERAT JUDICARE CORAM ILLO, ET EXPECTA EUM. — Sibi persuaserat Eliu Jobum de providentia Dei non recte opinari: quocirca monet illum non ex his qui oculis carnis patent censeat sed mentem alius attollat, sciatque Deum omnia pervidere, et tyrannorum insolentiam et inopum anxietatem in-

Aurium
et oculorum
aversio
est dignum
ira et
offensio-
nis.

Vers. 14.

tueri; non tamen festinim innoxios eripere, noxios plectere; neque vero frustra videre, sive audire, cum tempora disceverit, sinens *Apoç. xiii, 14*, ut « qui in justitia est, sordescat adhuc: et qui justus est, justificetur adhuc: » ea nempe ratione graves peccatores ad necem, insontes ad palmam festinare. Quod si igitur a miseris suis liberari velit, a verbis blasphemis absteineat, qualia sunt illa: « Deus nostra non considerat; » sed potius (inquit), « judicare coram illo, » id est interprete *Psalm. xxxvi, 5*: « Revela Domino viam tuam; » introspecte in te ipsum, in mentem, in voluntatem, in affectiones tuas, in flexus et meandros cordis, et sublato velamento arcana pectoris tui expande. Vel, ut Hebræi legunt, *revolve super Dominum indignitatem tuam*, et in eum conjice: « et spera in eo (non in re alia ulla), et ipse faciet, » id est, spem tuam ad letum exitum finemque perducet. Si que te premit, inquit, difficultas in vita; si quod onus incumbit, quod ferre nequeas, Deum ad priorem opulentiorem; pondus illud tuum cumulumque molestiarum in eum devolve; cum illo jugum excipe, ejus onus ille valentior totum feret: adjuuge te illi per conscientie puritatem et similitudinem morum divinorum, et viam tuam atque vitam in eumolve, sive, ut loquitur S. Petrus, *I Epist. v, 7*, projice in eum sollicitudinem tuam et beate vite eorum. Quid vero inde consequetur? regius Vates ita pergit exponere: « Spera in eo, et ipse faciet: » si piis votis et obsecrationibus illi omnia tua commendes, « ipse faciet; » fidelissime tibi aderit, successum rerum dabit expectatione omni tua feliciorum: tu tantummodo « expecta eum, » et, ut idem David alio loco

Deus expectans
et
viriliter
sustinet
dum.

Psalm. xxvi, 14 monet, « viriliter age, et confortetur cor tuum, et sustine Dominum. » Ad quem locum S. Augustinus eleganter quatit, et respondet quesito: « Sed quando istud erit? arduum est mortali, tardum est amanti; sed audi non fallacem vocem dicentis: *Sustine Dominum*, tolera ustionem reum viriliter et ustionem cordis fortiter: non tibi negatum putes, quod nondum accipis, » etc.: expressus in eundem locum S. Hieronymus sic commentatur: « Expecta primum, ut contra certamina mundi a Deo conforteris: expecta deinceps, ut victor ab eodem Domino coroneris. » Quid trepidas quid diffidis pavidissime mortalium? ut enim Deus votorum nos compotes faciat, curas nostras spe et patientia in eum conjicere oportet: quisquis huic consilio prebit, ex horribili, quo se frustra passim omnes fatigant, labyrintho emerget, quia ubi negotia nostra Deus regenda suscepit, nunquam deerit felix successus.

15. NUNC ENIM NON INFERT FUREM SUUM, NEC ULCISCITUR SCELUS VALDE. — Non dicit Deum in hac vita non inferre penam, sed non inferre furem seu acerbissimam penam; neque dicit absolute non ulcisci, sed non ulcisci valde, ut severior ultio in

futurem vitam reservetur, quod fortasse significare voluit divus Gregorius lib. *xvii Moral. cap. xvii*, dum ait « inconvertis mentibus æterni nam judici sententiam propinari: » nam verbum *propinandi* significat poculum porrigere, non ut exauriatur, sed ut tragustetur, *q. d.* Mali in hac vita solum prælibant divine iræ calicem, ut eum totum usque ad faeces exauriant in futura. Supplicia enim, quibus peccatores in hac vita plecutuntur, si vel gravitate vel diuturnitate comparentur cum suppliciis, que post hanc vitam peccatores manent, levissima profecto sunt, et tantquam nihili: ira quoque, quam in peccatores Deus in hac vita exerit, parva est, et mollis admodum ac levis, præ illa que erit futura post hanc vitam contra peccatores. Hoc ipsum discipulos suos docere voluit Dominus cum dixit eis *Luc. xii, 4*: « Dico vobis amicis meis: Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, et post hæc non habent amplius quid faciant: ostendam autem vobis quem timeatis: timeo enim, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam: ita dico vobis, hunc timeo. » Atque ad hanc rem melius animo et intelligentia concipiendam gradus veluti quosdam ponit, quibus liceat mentem attollere ad formidanda judicæ divinitatis pervidenda et ponderosam illius manum metuentiam: « Ne terreamini, inquit, ab his qui occidunt corpus. » Quid igitur? neminem moveat tyrannorum immanium furor, qui exproptum omne genus crudelitatis ad miserorum hominum vitam exurciant? Nonne videmus quosdam generosos et animi constantia præditos, cum equulei, fides, scorpiones, cum ardentibus laminæ, cum dire belluæ, rote, cruces, cum unci ferrei lampadesque cum tunica molesta proponerentur, homines se profectos expalluisse metu, atque in sevo illo apparatu animo cohorruisse? Sed « ne terreamini, inquit Christus, ab his qui occidunt corpus: » nam ille furor immanium dyastarum hujus vite finibus circumscribitur, et possunt quidem exquisito supplicio corpus anima spoliare, sed an.iam ipsam post migrationem ab hæc luce attingere non possunt; ille ille vere formidandus est, qui non modo corpus, sed animam quoque ipsam perdere in gehennam potest. Non vult Christus ita naturam nos exuere omnem, ut eorum, que in vita formidabilia sunt, nullo sensu commoveamur, sed docere que dura et aspera in hoc vite cursu eveniunt nihili faciendi videri, præ illis que post mortem sceleratis mentibus a Deo inferuntur; quæ tanta sint, nullius hominis cogitatio consequi potest. Non igitur homines, sed unum illum esse metuentum, qui corpus hominum cum arbitrio suo laceraverit, potest quoque animam ipsam inexplicabilibus tormentis penisque efflicere. Hos igitur poni gradus a magistro humani generis Christus aiebam, ut timorem concipiamus; ut cum illius sanctissimum effato constet, quæ formidamus in hac vita nihil esse, coram

future
compara-
ta.

Pro
sumibus
time-
mus, qui
potest
animam
perdere
in gehennam.

parata cum illis quæ post hoc vite curriculum eveniunt, iustissimas illius leges violare timeamus, et iracundiam provocare, qui in omnem partem immaniter cruciatos in gehenna perdere potest. Tu rotam atque ignem brevi periturum nec tangentem animam exhorreas, non reformides æternam mortem, et Cocytum luctu et lamentis in horribilem modum redundantem?

Calamitates huius vite scilicet pietati sunt respectu futurarum.
 Hoc idem pii vates singulari verborum gravitate more suo expresserunt, hominesque monuerunt, evi huius omnes calamitates a Deo illatas pietati esse infortunia, post hanc vitam mera supplicia; in hoc sæculo impiorum hominum penam esse misericordiam, in altero iustitiam: itaque huius temporis acerbitates quamlibet sævæ, et omni genere cruciatuum horribiles, quas Numen ad vindicandum scelus adhibet, in divinis litteris stilbe dicuntur. Habet enim formidandus ille mundi Iudex in manu sua calicem furoris, e quo stillat in hæc vita, guttatimque spargit, in sequente totum effundit: ita Josias II *Paral.* xxxiv, 21: «Magnus, inquit, furor Domini stillavit super nos, eo quod non custodierint patres nostri verba Domini;» et Daniel pari modo cap. ix. 11:

«Stillavit, inquit, super nos maledictio, et delectatio quæ scripta est in libro Moysi. » Acerbissimas illas intelligit exsecrationes et horribiles clades, quas legis promulgator Moyses iis imprecatur, qui divinum jus violaverint: quarum solum auditione cum tinniant aures, et animi intelligentium toti exhorrescant, eas tamen Dei afflatu Daniel stilbas vocat. Quid igitur tum erit futurum, cum potentissimum mundi arbiter non stillabit, sed diluvium iræ suæ in capita scelerata effundet? quam effusionem incredibiliter obstupefactos mirabatur Nahum cap. i, 6: «Indignatio, inquit, ejus effusa est ut ignis;» non ut ille pentapolitanus, quo Sodoma et vicinæ urbes hausta sunt, verum omni cogitatione acerbior; unde addit: «Et petrae dissolutæ sunt ab eo,» ubi dictio hæbreæ **צור** non *petram* quamlibet significat, sed *fortissimam* et *robustissimam caute*, silicem durissimum; quæ tamen iracundiæ divinæ ardore tabescunt et solvuntur, ut intelligamus vindicem Deum incredibili modo sæviturum. His autem an gravius quidquam dici potest? aut si nihil obduratos hæc homines movent, ad iudicia Numinis iramque metuendam quæ deinceps gra-

viora excogitantur? Sapienter divus Hieronymus in *Nah.* cap. i, propheta verba sic expendit: «Si stilla indignationis ejus consumit principatus quid fieret, si tota in nos Dei ira funderetur? Præstet Jesus ut auferatur a nobis cor lapideum.» O votum illius hominis sanctimonium dignum! Quis mihi det ut alta e specula exclamem, sic et omnes mortales exaudiant: Timele Dominum omnes, non sancti modo, sed multo magis scelere cooperiti; a demonio illusi, vecordes, ingrati: exhorrescite divina iudicia, cubensque fulmen, et vibrantem jam manum, in funestum exitium armatam: ne thesauros iracundiæ Dei contemnite, ne commovete stillantem calicem, priusquam perditos oceanus furoris obruat, et exundet ignis: ne augustam Numinis voluntatem inanissimis mundi ludibriis, avaritiæ, libidini posthærete: verum pio timore abjecti et reverentes, Domino gloriae et majestatis meritum cultum honoremque deferete. Sed quid ago? cur obtrudo verba mea, cum liceat ore sacro divinæ Sapientiæ loqui. *Luc.* xii, 5: «Timele eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam: ita dico vobis, hunc timele.»

16. ERGO JOB FRUSTRA APERIT OS SUUM, ET ABSQUE SCIENTIA VERBA MULTIPLICAT. — Ex jam dictis concludit Eliu et infert verba Jobi fuisse nihil aliud quam vacuos et sine mente sonos, in quibus nihil esset, quod scientiam oleret aut sanam mentem; dicitur autem os suum *aperuisse frustra*, aut quia nihil dixit, quod viri probent prudentes et pii; aut quia, dum petit a tot rerum et corporis incommodis liberari, assequatur nihil: quia lingua petulantem atque impia divinam in se inflammavit iram, neque illam oratione supplicis et morum mutatione placare studet. Imputavit autem Eliu Jobi superbiam, blasphemiam, divinæ providentiæ reprehensionem. Quod si verum foret, profecto verba, quibus ea temeraria asserta profulisset, et vana, et stulta et impia censeri deberent. At error in Eliu interpretamentis inest, quæ correctione indigent; recta quidem multa enuntiavit Eliu, sed non recte; vera quoque multa, sed falso afflicta Jobo; multa etiam sincera, sed importune protulit, Jobus quippe ex sapientiæ, pietatis, integritatis capilibus neque recte, neque pie, neque iuste accusari, redargui vel sperni potuit: ita Pineda, Sanctius, et alii.

VERS. 16.
 Eliu mo-
 le Jobum
 redarguit
 iniquitatem
 et impie-
 tatem.

CAPUT TRIGESIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Eliu æquitatem divini iudicii tuetur, qui percussit, ut erudiat; loquitur, ut ad se redeant; redeuntis a flagellis liberat. Hortatur itaque Jobum ut se ex animo convertat ad Deum, utpote quem suis sceleribus, ac nominatim iniustis pro tribunali sententis, provocavit ad tantam iram; respicientem autem cuncta provera pollicetur.

1. Addens quoque Eliu, hæc locutus est: 2. Sustine me paululum, et indicabo tibi: adhuc enim habeo quod pro Deo loquar. 3. Repetam scientiam meam a principio, et operatorem meum probabo justum. 4. Vere enim absque mendacio sermones mei, et perfecta scientia probabitur tibi. 5. Deus potentes non abjicit, cum et ipse sit potens. 6. Sed non salvat impios, et iudicium pauperibus tribuit. 7. Non auferet a iusto oculos suos, et reges in solio collocat in perpetuum, et illi eriguntur. 8. Et si fuerint in catenis, et vinciantur funibus paupertatis: 9. Indicabit eis opera eorum, et scelera eorum, quia violenti fuerunt. 10. Revelabit quoque aurem eorum, ut corripiat: et loquetur, ut revertantur ab iniquitate. 11. Si audierint et observaverint, complebunt dies suos in bono, et annos suos in gloria: 12. Si autem non audierint, transibunt per gladium, et consumerunt in stultitia. 13. Simulatores et callidi provocant iram Dei, neque clamabunt cum vincti fuerint. 14. Morietur in tempestate anima eorum, et vita eorum inter effeminatos. 15. Eripiet de ore angusto latissime, et non habente fundamentum subter se: requies autem mensæ tuæ erit plena pinguedine. 17. Causa tua quasi impii iudicata est, causam iudiciumque recipies. 18. Non te ergo superet ira, ut aliquem opprimas: nec multitudo donorum inclinet te. 19. Depono magnitudinem tuam absque tribulatione, et omnes robustos fortitudine. 20. Ne protrahas noctem, ut ascendant populi pro eis. 21. Cave ne declines ad iniquitatem: hanc enim cœpisti sequi post miseriam. 22. Ecce, Deus excelsus in fortitudine sua, et nullus ei similis in legislatoribus. 23. Quis poterit scrutari vias ejus? aut quis potest ei dicere: Operatus es iniquitatem? 24. Memento quod ignores opus ejus, de quo cœnerunt viri. 25. Omnes homines vident eum, unusquisque intuetur procul. 26. Ecce, Deus magnus vincens scientiarum nostram: numerus annorum ejus inestimabilis. 27. Qui aufert stillas pluviae, et effundit imbres ad instar gurgitum. 28. Qui de nubibus fluunt, 30. et fulgurare lumine suo desuper, cardines quoque maris operiet. 31. Per hæc enim iudicat populos, et dat escas multis mortalibus. 32. In manibus abscondit lucem, et præcipit ei ut rursus adveniat. 33. Annuntiat de ea amico suo, quod possessio ejus sit, et ad eam possit ascendere.

VERS. 1.
 1-4. ADDENS QUOQUE ELIU HÆC LOCUTUS EST: SUSTINE ME PAULULUM, ET INDICABO TIBI: ADHUC ENIM HABEO QUOD PRO DEO LOQUAR. REPETAM SCIENTIAM MEAM A PRINCIPIO, ET OPERATOREM MEUM PROBABO JUSTUM. VERE ENIM ABSQUE MENDACIO SERMONES MEI, ET PERFECTA SCIENTIA PROBABITUR TIBI. — Captata rhetoricorum more benevolentia atque attentione inchoatam disputationem prosequitur Eliu promittens non longe se progressurum esse dicendo; et

eo præsertim orationem incumbere, ut Dei causam pro virum suarum facilitate tueatur; cuius nomen Jobus audaci, ut ipse putabat, lingua violaverat: Repetam, inquit, quod pridem mecum meditatus sum, quodque esse volui meæ philosophiæ primum maximumque principium: nempe in factore meo nullam inveniri posse iniustitiæ labem. Neque quidquam, o Jobe, affingam veritati, neque tu, ut opinor, scientiam meam

REMOVET
 aliquid de
 DEO.